


Lunae die 10° m. Martii a° 1986°

a.d. VI Idus Martias



EUROPAEA FOLIA SECUNDO QUOQUE MENSE LATINE EDITA

Editrice responsalis: Diana LICOPPE - Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan- 1040 BRUXELLIS
Tel.: 734 55 42.

Redactrices : Francisca DERAEDT et Diana LICOPPE.

DISCIPULI NORMANNI AD NOS SCRIPSERUNT

Gaudemus quod hoc in numero multae sunt narrationes discipulorum urbis Cadomi.

Sic, cum, fortasse per proximas ferias, illam pulchram regionem Francogalliae,
quae antiquo vocabatur Neustria, lustrabitis, multa melius intellegetis.

Speramus vos etiam, discipulos e tota Europa, nobis de regione vestra mox nar-
ratores esse.

In ultima parte, legere poteritis pulchram fabulam a Francisca narratam.

LATINE GAUDETE !

QUOMODO NOMINA VIARUM ET AEDIFICIORUM URBIS CADOMI

ACTA DUCIS GUILHELDI ET UXORIS MATHILDAE PATEFACIANT

Haec verba scripsit David Jourdan, discipulus qui in gymnasio Malherbensi
(vulgo "Malherbe"), in urbe Cadomo, versatur.

Ab anno millesimo quinquagesimo nono :

. Coenobium virorum, coenobium feminarum (vulgo "abbaye aux hommes", "abbaye aux dames") :

Creditur Guilhelnum et Mathildam haec coenobia Cadomensia Papae iussu aedi-
ficavisse quod Guilhelmus Mathildam quamquam consobrinam uxorem duxisset.

In Coenobio Sanctae Trinitatis tumulata est Mathilda anno millesimo octoge-
simi tertio, in coenobiali basilica (nunc Sancto Stephano dedicata) tumula-
tus est Guilhelmus, anno millesimo octogesimo septimo).

(sequetur...)

FABER PHIALAM VITREAM FECIT.
QUAM NEMO FRANGERE POTUIT



HOC ASPICE! Ô CAESARE

Quid? Non est
FRACTA?
OMNIS MIRABILIS!


ADMISSUS EST AD CAESAREM
Cum phiala. Ei phialam
OSTENDIT



CAESAR Tamen
PUTAVIT

Si SCITUM ERIT,
AVRUM PRO LUTO
HABEBIMUS!





Hanc fabulam Petronii de fabro qui putabat se rem mirabilem invenisse faciliorrem fecerunt Mary et Bruno Cimetière et delineavit Vincent Tailhardat.

*

Nunc Karina Leroy Cadomensis nobis iussum culinarium proponit :

Lagana Armoricana, vel Normannica.

Opus sunt : una libra farinae

IV ova

una litra lactis

(saccharum)

sal

oleum.



- . Farinam in excipulum spargite, salem addite, ova demittite (Aliqui saccharum etiam spargunt), et omnia miscete. Deinde lac miscendo fundite et parum olei addite.
- . Tres horas exspectate.
- . Oleo fretale ungite antequam farinam subactam minimam coquitis. Bis, ter, decies, vicies iterate : multa subtilia lagana habebitis! Quae etiam meliora erunt si bonam siceram e Normannia simul bibetis!

Psyche et Cupido

Erant in quadam civitate rex et regina. Hi tres filias habuerunt. Inter eas, duae maiores satis pulchrae erant, sed minoris filiae formositas tam egregia videbatur ut verbis humanis vix exprimi posset. Itaque, omnes homines omnibus ex nationibus veniebant ut eam, quasi deam, viderent et adorarent. Dicebant eam esse novam Venerem.

Sed, tempore transeunte, nemo Psychen in matrimonium ducebat, quamquam sorores eius iam diu maritum invenerant. Itaque pater familias ad Delphicum oraculum iit : volebat ex deo quaerere quid faciendum esset. Apollo respondit Psychen in montem ducendam relinquendamque esse, ut monstrum quoddam eam in matrimonium duceret. Maesti parentes multum fleverunt sed ... quid facerent? Tantum oboedire poterant. Filiam ergo in montem duxerunt ; omnis populus sequebatur, omnes homines illam virginem fabant.

Postea Psyche, in monte suo exspectans, in somnum cecidit. Ventus eam dormientem cepit, levavit, portavit usque ad regiam mirabilem. In illa domo aurea debebat toto die vivere. Maritus eius tantum nocte veniebat, neque se umquam ostendebat : Psyche non poterat maritum suum videre. Felicissima tamen vivebat.

Aliquando tamen sorores suas invitare voluit. Maritus noluit, illa obsecravit, ille cessit et sorores venerunt. Cum tot divitias viderunt, invidia in earum animum influit. Et Psychen his verbis turbaverunt : "Numquam maritum tuum vidisti? certe est horribile monstrum quod te edere vult. Eum interficere debes!"

Hac nocte, Psyche terrore plena, lucernam novacula lamque capit, et maritum suum inspicit. Sed, o mirabile! Quem vidit? Illum Cupidinem ipsum, deum amoris! Videt caput aureum, cervicem lacteam, genas purpureas, pinnas plumulis delicatis, et arcum et pharetram et sagittas volatilis dei. Ille quidem divinus maritus tam formosus erat ut ipsum lumen lucernae vacillaret. Infeliciter, deus ex pergefactus est et ex manibus infeliciissimae coniugis evolavit dicens : "Miserrima Psyche, me videre non poteras. Nunc fugere debo." Et se in altum proripuit.

Post nonnullas lacrimas, Psyche statuit eum requirere. Adiit Venerem, Cupidinis matrem, quae, propter invidiam pulchritudinis, noluit ei filium suum reddere. Ei labores molestos crudeliter imperavit, inter quos eam usque ad inferos misit. Sed semper, deis iuvantibus, Psyche officium perfecit. In fine, Veneris ira pacata est : permisit ut duo coniuges inter se viderent. Psyche in caelum vocata est et, ambrosiae poculo dato, immortalis facta est. Tunc dei cenam nuptialem paraverunt et Psyche, ad vitam aeternam, Cupidini nupsit. Felicissimi perpetuo fuerunt atque filiam habuerunt, quam Voluptatem nominamus.